



4 juo 2135 (10)

DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
TORTVRA EIVSQUE MINIS
ADMODVM CAVTE
ADHIBENDIS




QVAM
AVCTORITATE ET PERMISSV
MAGNIFICI IVRE CONSVLTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA PATRIA

P R O L I C E N T I A
SVMMOS IN IVRE VTROQVE HONORES
RITE ADIPISCENDI

D. XIX. MARTII MDCCCXXXVI.
PVBLICAE SOLENNIQUE DISQVISITIONI
SVBICIT

MARTINVS GVILIELMVS GOETZ
NORIMBERGENSIS.



ALTORFII
LITERIS MEYERIANIS.

1776

SACRI ROMANI IMPERII
INCLVTAE
REIPVBLICAE
NORIMBERGENSIS
S E N A T V I
SPLENDIDISSIMO
VIRIS
PERILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS
D O M I N I S
D V V M V I R I S
T R I V M V I R I S
S E P T E M V I R I S
C O N S V L I B V S
S E N A T O R I B V S
P A T R I B V S P A T R I A E
I N D V L G E N T I S S I M I S
M A E C E N A T I B V S S V I S
M V N I F I C E N T I S S I M I S



A NUMINE SUPREMO
GENTIVM GENEROSISSIMARVM
SPLENDOREM PERENNEM
REGIMINIS SAPIENTISSIMI
SVCESSVS SECVNDISSIMOS

ET

MAXIMA QVAE MENTE CONCIPi POSSVNT BONA
OMNI ANIMI RELIGIONE
APPRECATVS

HANC QVALEMCVNQVE EXERCITATIONEM
INAVGVRALEM

CEV DEMISSISSIMAE OBSERVANTIAE MONIMENTVM
CONSECRAT

SEQVE ET IN POSTERVVM

TANTORVM MAECENATVM

GRATIAE AC TVTELAE
SVBIECTISSIME COMMENDAT


AVCTOR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

TORTVRA EIVSQVE MINIS ADMODVM
CAVTE ADHIBENDIS.



§. I.



Torturae, ut aiunt, si originem in Germania quaeras, infano paene religionis diffeminandae furori, infantiabili caedis cupiditati, auriqve sacrae fami attribuenda videtur: si eius uirtutem spectes atque effectus; facinorosis robustioribus non raro saluti, innocentibus tenerioribus saepe exitio ¹⁾ fuit: si fata denique recentiora; praestantissimorum uirorum impugnationes passa ²⁾, ex amplissimis quorundam principum ³⁾, non uana sapientiae gloria ad coelum usque elatorum, terris est eliminata. Haec uero nos omnia fusque deque habere; aut animo ista perpendentes

A 3

dentēs

dentis tormenta ne iniustitiae quidem laborare suspicione contendere possemus ?

- 1) Quem fugiunt infelicissima nomina BARRII, CALASII, aliorum? Duo notari dignissima eiusmodi exempla, ex quibus nimirum perspicere queat, uerisimillima adeo fallere indicia, legat, qui uelit, in prima parte libelli, *das bremische Magazin* inscripti, p. 131 sq. quae quidem celeb. KOCHIVS inseruit *dem Sendschreiben an den Herrn Reg. Rath von K****, qua egit de quaestione: *in wie fern dem durch die Marter oder Bedrueckung derselben erpressten - - Bekenntniß zu glauben sey etc.* Giefs. et Franckf. 1764.
- 2) Vid. LIPENIVM, huiusque operis maxime praeclarum continuatorem, SCHOTTIVM.
- 3) De Russorum Imperatrice, Sueciae porro ac Borussiae Regibus, sermonem hic mihi praecipue esse, quilibet uidet. Quatenus uero Fridericus M. cruciatuum permiserit usum, infra ad §. X. indicabo.

§. II.

Si quis unquam, quaestionem rem esse fragilem, periculosam, et quae ueritatem fallat, cum VLPIANO ¹⁾ existimarit: hoc sane illustri DE SONNENFELS et optime intellexit et satis intrepide docuit. Iussus deinde, quae hac de re paullo liberius sentiret, non amplius uel ore profiteri, uel scriptis diuulgare; argumenta ista, quorum uel contactus torturam aptum licitumque ueri eliciendi remedium censere non posset, exponendo ²⁾, suam doctrinam THERESIAE ita probauit, ut haec humanitatis amantissima princeps illi pristinam docendi scribendique libertatem clementissime restitueret, prouinciarum autem iudices maiori sollicitudine in torturae necessitatem inquirere iuberet. Quamquam Archiducatus Austriaci partis inferioris Regiminis Con-

filiarius

filiarius quidam, asserere remis uelisque conaretur; contra hunc quoque SONNENFELSIUS suam, aut ipsius potius humanitatis causam ita propugnauit, ut tormentorum usum inutilem atque damnosissimum esse, euidenter demonstraret, simulque aduersarii argumenta, ueritatis speciem sane praeseferentia, penitus confutaret ³⁾.

- 1) l. i. §. 23. D. de quaest.
- 2) Vid. tractationis statim adlegandae appendicem.
- 3) In aureo plane libello, cui inscriptio: *Veber die Abschaffung der Tortur von I. v. Sonnenfels, Zurich, 1775.* nesciente Auctore, edito. Quo imprimis commota uidetur THERESIA, ut torturae usum, sicuti fama fert, terris suis interdiceret.

§. III.

Etiam si uero nullus forte negabit, illustrem DE SONNENFELS tam acute contra quaestionem disputare, simulque tam copiose eleganterque dicere, ut tacito quodam sensu homines ducere, et uel inuitos ad consensum cogere uideatur: sunt tamen, puto, et certissime erunt, qui in huius celeb. Viri humanissimam non plane abeant sententiam. Sed hoc fidenter audeo affirmare, neminem sane fore, qui perlecto isto libello, certus atque conuictus de tormentorum utilitate iustitiaque manere, uel talem se praedicare, posthac sine pudore queat. Magna itaque inquisitionum criminalium mutatio sperari, expectari, quid? quod iure quodam ab iis saltem posci potest principibus, qui non timeri modo, tanquam domini, uerum etiam amari, ut patres beneficentissimi, cupiunt. Quomodo enim uir bonus

criminum

criminum suspectos incaute tormentis queat tradere, quum eorum aequitatem certe non possit non in dubitationem uocare, mihi certe non liquet.

§. IIII.

Sed quonam, torturae aiunt patroni, quonam modo inquisitos ad criminum confessionem cogemus, si nos tormentis priuaris? Neque hoc suadeo, ut eos cogatis. Blandis fortasse compellationibus aut seuerioribus paululum hortatibus felicius respondebit euentus. Omnibus uero frustra tentatis, sic isti pergunt, quodnam ad remedium confugiemus? Vnicum superest, sed ita comparatum, ut omni uestra doctrina, ingenii acumine, iudicii perspicacia, prudentia, diligentia, patientia opus sit, si eo recte feliciterque uti uelit, accuratissima nempe omnium rerum crimen circumstantium, nexusque illius, quo inculpatus ac ipsum delictum contineri uidentur, peruestigatio ¹⁾. Ast hac satis scopulosa uia non semper ad ueritatem perueniemus? Quasi uero in aliis rebus, artibus ac scientiis praesertim, nunquam errore, semper ueritate duceremur, aut humanae imbecillitati omnia nosse conueniret, aut tormentorum denique usu certi nunquam non redderemur! Hoc unum nobis sit propositum, ut rempublicam a malorum nequitia ita praestemus securam, ne ipsam simul innocentiam crudeli ausu opprimamus ²⁾.

1) De qua uid. SONNENFELS. l. c. p. 85 - 88. Num in istis regionibus, ubi cruciatuum usus iam prohibitus est, quaedam singularia ad facilius detegendos criminum reos uel inuenta uel legislatoria auctoritate introducta sint, adhuc comperire non potui. Neque uero in Regis Borussiae,

siae, neque in Ducis Megapolit. Decretis, neque in Catharinae der Zweyten Instruction für die zu Verfertigung des Entwurfs zu einem Gesetzsbuche verordnete Commission tale quid animaduerti. Interea Fridericus M. iam 1752. in dissertation sur les Raisons d'etablir ou d'abroger les loix, hoc est testatus: Il y a huit ans, que la Question est abolie en Prusse: on est sur de ne point confondre l'Innocent, et le Coupable; et la Justice ne s'en fait pas moins.

2) Recte enim de la BRUYERE iam dixit: Un coupable puni est un exemple pour la Canaille, un innocent condamné est l'affaire de tous les honnêtes gens.

§. V.

Torturae usu proscripto, inquisiti satis suspecti interdum omni adhibita opera, neque ad confitendum adigi, neque ita conuinci poterunt, ut poena ordinaria affligi possint. Quanam itaque ratione cum hisce erit agendum? Nimia uideri posset arrogancia, si equidem iuuenis hanc sat grauem meo arbitratu deciderem quaestionem. Celeberr. igitur QVISTORPIVM ¹⁾ hac in re sequar. Ille uero in primis crimina capitalia in grauiora et simpliciter talia diuidit. Grauiora illi ²⁾ sunt, quae quietem ac securitatem reipublicae immediate turbant, uti rapina, incendium, furtum, quod uocant qualificatum etc. Simpliciter talia nominat, quae reipublicae salutem tantum mediate laedunt. Grauioris criminis inculpatus, contra quem femiplena adest iuridica probatio, in uinculis per biennium est retinendus, hoc autem exacto, e territorio relegandus, nisi forsan maior interea lux iudici inquiringenti accensa sit. Quodsi uero talis inquisitus eius praeterea est farinae, ut uel tota antea uita se facinoribus commaculauerit ³⁾, aut grauiorum adeo criminum iam alias ex haud leui suspicione fuerit

fuerit inculpatus, ad perpetuos carceres et modicos labores erit condemnandus. Qui autem semiplenae probationi non-nihil detrahare possunt, uel ne semiplena quidem grauati sunt, ab instantia sunt absoluedi, fidem praestantes, e territorio sese non effugituros, sed iudice iubente in Iudicio rursus esse comparituros.

- 1) In libello, cui titulus: *Rechtliches Erachten, wie in Ermangelung eines vollstaendigen Beweises, wider einen Angeschuldigten zu verfabren sey, besonders an denjenigen Oertern, wo die Tortur abgeschaffet worden?* Rostock, 1774. p. 17. sq.
- 2) Recedere nimirum quodammodo ab aliis Iur. Crim. Doctoribus uidetur QVISTORP. Cf. e. g. MEISTERI *Princip. Iur. Crim.* p. 26. 27. §. 14. 15.
- 3) *Nam perinde, ut opinio de cuiusque moribus, ita, quid ab eo factum aut non factum sit, existimari potest.* CIC.

§. VI.

In posterioris generis criminibus, quorum tamen reos rite confessos aut plene conuictos, ultimum sine dubio manet supplicium, hoc modo procedi posse, arbitratur QVISTORPIVS *). Si inquisitus semiplena probatione grauatus, et ob uitam ante actam criminis eiusmodi satis suspectus est; per unum annum in carcere custodiatur, ac, nisi noua subuenerint indicia, e territorio relegetur. Si uero sola adest semiplena probatio, nulla alia re circumstanti suffulta, absolutio ab instantia sequatur: quod priusquam fiat, inquisitum, ut sancte polliceatur, sese nunquam e territorii finibus esse egressurum, cogere fas est.

*) l. c. p. 22 - 24.

§. VII.

§. VII.

Non deerunt forte, qui QVISTORPIVM reprehendant, eos poena afficiendos iudicantem, qui nullo de crimine potuerunt conuinci. Quibus, si simul torturam defendunt, equidem respondeo: Hanc poenam extraordinariam suscipientes neque tantos sentiunt cruciatus, quantis ad tormenta subeunda coacti misere anguntur; neque in uitae, qua mortalibus nihil potest esse carius, periculum incidunt; neque innocentiae demonstrandae et occasione et remediis priuantur. Alios uero, ut ne in uoce poenae nimium haereant, rogo moneoque. Quod enim hic poena uocatur, nihil aliud est, quam adiuumentum quoddam extraordinarium, quo reipublicae securitas facta tecta conseruetur. Ceterum QVISTORPIVM ipsum legant, neque sibi persuadeant, me huius doctissimi Viri decisionem adeo admirari, ut in illam iurare paratus sim, aut purem, hoc subtilissimum sane iuris criminalis caput melius nunquam posse explanari.

*) Cf. quoque F. G. ZOLLERI dissert. *Vtrum tortura penitus abroganda, an tantum limitanda uideatur?* Lips. 1772. §. 21.

§. VIII.

Ne quis forte miretur, cur in tormentorum locum, laborum, difficultatum plenissimam, eam denique inquisitionem, cui uix hominis uires sufficere uidentur, substituendam potius putarim, quam uerberationem istam, cui quaestionis per uerba indidere nomen: ingenue fatear necesse est, me has castigationes aequae fallaces, aequae sanitati uitaeque innocentium periculosas, ac torturam ipsam reputa-

re, ideoque FRIDERICO M. penitus assentiri, qui eas in locum tormentorum succedere, satis seuerè uetuit *). Neque equidem perspicio, quare haud minima iudicum pars quaestione per uerbera sic delectetur, ut ista, nisi in examine summario, in eo tamen, quod ad Articulos institui solet, nulla cum iuris criminalis principiorum, tum ipsius Sanctionis Carolinae ratione habita, uti non erubescat.

*) In Decreto d. d. Berolini d. 18. Nov. 1756. uerbis: „denen saemtlichen Vntergerichten von neuem durch ein Circulare aufzugeben, sich alles Schlagens der Inquisten gaenzlich und bey unausbleiblicher Straffe zu enthalten; und wann ia bey Inquisten, vvelche starke Indicia wider sich, und schon mehrere Delicta begangen haben, dergleichen Zuchtigung noethig erachtet werden sollte, daruber jedoch zuvor bey denen ihnen vorgesezten Iustiz-Collegiis, anzufragen, ubrigens aber die Defensores iedesmal anzubalten, sich vor Anfertigung ihrer Schrifften mit dem Defendendo gehoerig zu besprechen, und solche nicht blos aus denen Acten, und denen darinn vorkommenden Vnstaenden, abzufassen.“ et in recentiori, d. d. 4. Oct. 1766. cui primaria prohibitionis causa adiecta est: „das Schlagen der Gefangenen hat vor den gemeinen Arten der Tortur noch diese Bedenklichkeit voraus, dass die an dem Inquisten verubte Gewalt ganz unbestimmt ist.“ Quae Decreta sapientissima typis exprimi curauit Frid. BEHMERVS in Iur. Controuers. Tom. II. p. 478. sq.

§. VIII.

Ex huc usque prolatis neminem non intelligere reor, me eorum sequi castra, qui torturam generatim spectatam e Christianorum foris esse exterminandam, statuunt, eiusque abrogationem animo saltem expetunt atque optant. Is ego tamen non sum, qui hac in re nullam omnino concedi debere exceptionem affirmem. Plures multo potius ipse statim

tim adferam, ducem celeb. BANNIZAM *), potissimum fecuturus, neque tamen cum illo plane consensurus.

*) In Disquisitione de tortura nec ex integro reprobata, nec ex integro approbata. Oeniponti 1774.

§. X.

Tormenta igitur adhibeantur, non repugno, si quis crimen capitale eius generis, uel hac ratione perpetratum, ut sine aliorum ope fieri plane non potuerit, uel confessus uel de eo conuictus sit, socios tamen delicti siue adiutores indicare pertinaciter renuat. Tum enim reipublicae securitati, pessimorum hominum turba ut detegatur, poscenti, fit satis; innocentes nunquam in periculum ueniunt; rei denique semper iustas contumaciae luunt poenas. Habemus ideo hac in re, praeter BANNIZAM ¹⁾, qui nobis ad stipulentur, FRIEDERICVM M. ²⁾ DUCEM MEGAPOLITANVM ³⁾ SONNENFELSIVM ⁴⁾, aliosque.

1) l. c. §. 58.

2) in Decreto d. 5. Iun. 1740. uerbis: „die Tortur gaenzlich abzuschaffen, ausser bey dem crimine laesae maiestatis, und Landesverraetherey, auch denen grossen Mordthaten, vwo viele Menschen ums Leben gebracht, oder viele Delinquenten, deren Connexion herauszubringen noethig, impliciret sind“, quod inuenies apud BEHMERVM l. c.

3) In Constitut. d. d. 16. Dec. 1769. de qua uid. QVISTORPII Grund-Jaeze des peinlichen Rechts p. 917. prior. edit.

4) l. c. p. 81. sq.

§. XI.

Ob easdem fere causas tormentis locus relinquendus uidetur, si auctorem cuiusdam criminis morte puniendi, manifestum quidem habeas, ille uero quasdam criminis circumstantias, quae scire uel totius reipublicae, uel unius tantum ciuis interfit, diligenter celēt ac dissimulet. Quod non raro ab iis fieri uidemus, qui furto aut rapina res magni pretii ablatas abscondiderunt, aut aliis custodiendas traderunt.

*) Cf. BANNIZA c. I. §. 57. SONNENF. c. I. p. 83. 84.

§. XII.

Eos porro equulei cruciatibus recte subiici posse, BANNIZA *) putat, qui de crimine ultimum supplicium merente, uel duobus testibus, quorum alter non omni exceptione est maior, uel uno tantum; sed fide dignissimo uiro, in quem plane nulla falsi testimonii dicendi suspicio cadere queat, fere conuicti, illud perseveranter audeant inficiari. Licet uero haec testimonia, de actu ipso criminis perhibita sint; attamen inculpatum non torquendum arbitror, nisi antea ita dicta confrontatio et omnia alia remedia, ad elicendam confessionem apta, frustra fuerint tentata. Praeterea opus erit, ut testium elogia cum circumstantiis delicti, iudici aliunde notis, optime congruant.

*) l. c. §. 51. 52.

§. XIII.

Dari delicta, quae nullum post se uestigium natura relinquare solent, neque raro uel hominum astutia effici, uel alio

alio fieri modo, ut eorum quoque delictorum, quae facti permanentis uocari consueuere, nulla amplius extent aut reperiantur uestigia, nemo est qui nesciat. Quoties itaque deficientibus huiusmodi uestigiis, duorum testium, quorum fides nullo modo suspecta reddi potest, elogiis probatur, crimen capitale a Seio esse commissum: toties subsidiarium tormentorum usum BANNIZA *) saepius laudatus admittit, quoniam hac rerum facie, leges condemnari uetant reum conuictum, nisi simul de delicto ipse confiteatur.

*) l. c. §. 62. 63. Qui tamen Iurisperitissimus Vir, de testibus uerba faciens, hoc semper cogitatione anticipare uidetur, quod inquisitus crimen nullo modo purgare ac testimoniis nihil plane detrahare ualuerit.

§. XIII.

Porro ad torturam confugit Praestantiss. BANNIZA¹⁾, si quis tam perfrietae sit frontis, ut, quamuis coram duobus fide dignissimis uiris, criminis se auctorem iam serio professus fuerit, omnemque simul rationem ac modum, quo id factum sit, accuratissime exposuerit, illud tamen in iudicio, praesentibus adeo istis testibus, negare atque pernegare conetur. — Tormentorum usu his limitibus circumscripto, neque unquam ob solas coniecturas concesso, innocentium quidem ciuium saluti tam bene consultum esse uidetur, ut illis a tortura periculi quid imminere non facile queat. Me uero, ea, quae ex BANNIZAE tractatione in XII. XIII. et hoc §pho proposui, animo considerantem alia plane angit cogitatio. Valde enim dubius haereo, quae sententia ferenda sit, si, rebus ita se habentibus, confessio ne tormentis quidem exprimi potuerit. Dimittemusne inquisitum, qui tam uerisimiliter pro delicti reo habetur, impunitum?

tum? An uehementissimos equulei dolores iam passum extraordinaria poena adhuc afficiendum putabimus? — Sed si in huiusmodi aut aliis casibus, in quibus communes iuris criminalis regulae ad extricandam non sufficiunt ueritatem²⁾, torturae usus non plane abrogandus uideatur: hoc saltem est optandum, ut legibus ubique praecipiat, quod in Bauaria³⁾ aliisque terris iam introductum est, ubi nimirum ne confrontationem quidem, nedum tormenta eorumque comminationem usurpare possunt iudices inferiores, nisi iis hoc ab iudicio superiori, aut principe⁴⁾ ipso sit permissum. Hoc enim modo uita innocentium cum reipublicae salute magis praestatur secura, dum tales causae uel sapientiorum, uel legislatoris ipsius diiudicationi relinquuntur, qui prudenti arbitrio ductus, tam intuitu inquisitionis, quam punitio- nis, a communi iuris tramite recedendi gaudet potestate. Qua usus est, ut rem exemplo illustrem, Fridericus Guilielmus, Borussiae Rex, cum Iudaeum, furti qualificati maxime suspectum et tantum non in actu furandi deprehensum, cuius uero confessio ne tormentis quidem exprimi potuerat, patibulo addicere non dubitauerit⁵⁾.

1) l. c. §. 61.

2) Quod non raro accidere putat I. S. F. BOEHMER in praef. II, ad *Elementa Iur. Crim.* ad Auctorem libri: *der entdeckte Baldober*, in primis prouocans.

3) Vid. *Cod. I. B. Crim.* de anno 1751. P. II. Cp. 8. §. 4.

4) Qui tali lege facinorosorum iusto plus differri existimant poenam, *IVVENALEM* forte non legerunt, sic canentem:

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

5) *Leben und Thaten Friedrich Wilhelms, Koenig in Preussen*, p. 1074.

§. XV.

Perduellionis tandem in crimine, ob indicia grauissima ualdeque urgentia, quaestionem admittit BANNIZA¹⁾, ne tota forte respublica in ingens damnum incurrat. Totius enim ciuitatis, inquit, bonum bono unius ciuis omnino est praefendum. Neque equidem hoc nego. Si uero innocens facinus hoc abominandum, de quo ne cogitauit quidem unquam, cruciatibus coactus fateatur, ideoque lenta acerbissimaque morte puniatur; si huius e contrario criminis reus, tormentis scelestis pariter ac detestanda patientia defunctus absoluarur, quod utrumque facile fieri potest: torturae usu reipublicae salus in tuto collocatur, an maiori potius periculo exponitur? Quod ad alteram BANNIZAE attinet ratiocinationem, lubentissime quidem concedo, in hoc crimine, propter eius atrocitatem, multa singularia in iure esse statuta; inde tamen colligi nequaquam posse, quae iste effici ex propositis uult, quilibet uidet. Nunc enim quaerendum non erat, quid legibus sit statutum, sed quid iis constitui, ratione ita iubente, oporteat. Ceterum ad *SONNENFELSIUM*²⁾ prouoco, qui neque hoc in crimine tormenta locum inuenire, tam clare ostendit, ut superuacaneum plane susciperem opus, si modo uerbulum adderem.

1) l. c. §. 64.

2) l. c. p. 79. 80.

§. XVI.

Satis multa uerba fecisse uideor de quaestione; restat, ut de eiusdem minis, et spatii et temporis penuria laborans,

rans, breuissime agam. Quum his minis inquisito metus incutiatur: perspectu est facillimum, contra earum usum plurima fere argumenta ualere, quibus ipsa tortura, a BECCARIA, SONNENFELSIO, aliisque nostra infringitur aetate. Mihi uero nunc animus est exponendi, quatenus iudici, tormentis nondum abrogatis, cruciatuum minis uti liceat, si non tam suum ipsius arbitrium, quam leges criminales recte intellectas, earumque sequi uelit analogiam.

§. XVII.

Si quid ego uideo, torturae comminationem particulare quoddam eruendae ueritatis remedium esse, Sanctio Carolina nullibi uult. Sed auctor huius legis tam humana fuisse mente uidetur, ut iudicem moneret, ne tormentis iam decretis ante utatur, quam omnia alia expertus fuerit, blandasque in primis persuasiones, aptas cuiuslibet causae exhortationes, ac minas denique adhibuerit.

*) Quod patet ex C. C. C. Art. 46. initio: *Wenn man den Gefangenen peinlich fragen will etc.* Neque meam opinionem parum confirmare uidetur Art. 134. C. C. C. qui minas non admittit, nisi cum adsint indicia graua (*redliche Anzeigen*). Graua autem indicia sufficere ad torturam ipsam, dilucide docet Art. 20. C. C. C.

§. XVIII.

Male a me Art. 20. C. C. C. allegari, non pauci existimabunt, cum uerbis huius Articuli, *fragen et gefragt werden*, uoculam *peinlich* haud appositam esse uideant, aut b. BOEHMERVM, Virum de iuris criminalis scientia in primis meritissimum, legant, hoc in Articulo primum de inter-

roga-

rogatione qualibet, deinde uero de quaestione agi, statuentem *). Sed res mihi fatis salua uidetur. Siue enim huius Articuli respicias inscriptionem, quae ne uetustioribus quidem Constitutionis criminalis Carolinae deest editionibus; siue consideres uerba, *redliche Anzeigung*, quae Articuli, VI. et VIII. expresse requirunt, si quaestio uelit haberi, cum tamen ob communem famam uel leuia indicia inquisitio iam institui possit; siue contextum perpendas, praesertim Art. XX. uerba, *und ob auch gleichwol aus der Marter etc.*; siue cum modo citato Articulo, Bambergensis et Brandenburgicae Constitutionum criminalium, illius Art. 28., huius uero Art. 27. compares, qui uterque de sola loquitur quaestione: hanc meam opinionem si non ueram, ueri tamen adeo inuenies similem, ut neque quadam mentis uanitate, neque foeda summis uiris obloquendi cupiditate adductum me credas tanti nominis Viro hac in re contradixisse.

*) In Meditatt. in Confit. Crim. Carol, ad Art. 20.

§. XVIII.

Sanctio itaque Carolina, uti equidem arbitror, id solummodo egit, ut inquisitis parceretur, neque alio consilio minas concessit, quam ut fallaci cruciatuum usu iudices interdum superfedere possent. Quanam igitur ex causa tormentorum minis iudices, in qualibet iudicii criminalis parte uti, uel potius abuti posse, statuas, tantum abest, ut intelligam, ut id potius acerrime negem. Si enim iudicibus, permittas, ut a Constitutione criminali Carolina quodammodo recedant, atque comminatione torturae, tanquam remedio ueri eliciendi particulari, neque tormenta iam decreta tantum antecedenti utantur: eam territionis inter spe-

cies referant *), et, quod ex eo consequitur, in minarum usu, non speciales territionis solum, sed et omnes fere regulas, quas de hisce adiumentis subsidiariis in genere et leges criminales praescribunt, et sana dicitur ratio, obseruent necesse est.

*) Quod expresse fecit Celeb. MEISTERVS I. c. Sect. III. Cp. 21. §. 2: Quocum alii, e. g. HEILS in *Iudice ac defensore* pag. 205. et PRAECLARISS. KOCHIVS in *Institut. criminal.* nouiss. edit. §. 857. consentire quidem non uidentur, re uera tamen consentiunt, quum territionem, remedium eruendae ueritatis per tormentorum metum sine cruciatibus ipsis, esse censeant, haec autem definitio in iudicis quoque minas optime quadret.

§. XX.

Tormentorum ergo a comminatione non in sumario solum, sed et in articulado abstinendum est examine ¹⁾, cum in utroque inquisitus et liberaliter benigneque interrogari, et sponte respondere debeat; quod fusius docent KRESSIVS ²⁾ ac BOEHMERVS ³⁾. Iudices inferiores illa ne utantur, nisi iis hoc sententia interlocutoria permissum sit.

1) Non inepte huc trahi posse uidetur l. 1. pr. D. de quaest.: *In criminibus eruendis quaestio adhiberi solet. Sed quando uel quatenus id faciendum sit, uideamus. Et non esse a tormentis incipiendum, D. Augustus constituit.* Vid. quoque libellus, *zur Minderung des menschlichen Elends*, inscriptus. Danzig, 1775. p. 25. n. 1. „Der Richter muss den Inquisiten mit Ernst und solchen Vorstellungen, welche ihm dessen Physionomie und ganzes Betragen als die besten anrathen, zum Bekenntniß der Wahrheit anmahnen, aber ihn hart anzufahren, oder durch Androhung von Martern,

Martern, oder durch Versprechungen zu bewegen, sich schlechterdings enthalten.“

2) In *Commentat. ad Constit. Crim. Caroli V.*

3) l. c. §. 3. ad Art. 46. Neque parum in rem meam facit, Conclusum, Senatus Imperii Aulici (uid. *die merkwürdigen Reichshofr. Concl.* Part. II. N. CCCCXIV.), quo tota contra quendam KVHLMANNVM instituta inquisitio omni sua ui ac efficacia priuatur, immo restitutio expensarum etc. Denuncianti, atque in subsidium iudici ipsi iniungitur, quoniam hic Denuncianti, non modo plus, quam aequum erat, fauerat, *sondern nach erfolgter gefaenglichen Einlegung des Denunciats und seiner Magd, im ersten Examine gleich mit Androhung der scharffen Frage, und zwar mit dem bey dem Denunciats gethanen Vortrag, ob sollte seine Magd selbigen Tags zur Tortur gefubret werden, unerachtet wieder damals noch darnach bey dem Inquisitions-Protocollo eine rechtliche Erkenntniß, dass die Tortur Platz habe, ersichtlich.* Quibus ulterioribus uerbis meae in §. 17. propositae sententiae nouum accedit robur.

§. XXI.

Quae porro minae non adhibendae uidentur in delictis leuioribus ¹⁾, quia grauius quid continent poenis ipsis, talia delicta sequentibus; neque in grauioribus, nisi de corpore delicti constet ²⁾, et inquisitus eiusmodi oneratus sit indicis, quae tantum non ad territionem in specie sic dictam sufficiunt.

1) In quibus tamen iam laudatus MEISTERVS l. c. §. 4. territionem in genere concedit. Quem uero doctissimum Virum fati ut intelligam, eo magis metuo, quo certius mihi est persuasum, territionem plane inutile esse remedium delictorum leuiorum eruendorum. Maxima enim

hominum pars et nebulones in primis Iurisprudentiam criminalem eatenus callent, ut, torturam ipsam his in delictis locum non habere, sci- ant, sicque inanes minas contemnere; et uanam sine uiribus iram deri- dere queant. Et BOEHMERVS a mea parte stare uidetur, cum in *Observatt. ad CARPZOV. Pract. rev. crim. P. III. p. 44. Obl. 7.* affir- met: *Prorsus superfluae sunt (sc. minae) in iis delictis, quae mere ar- bitraria poena uindiciantur.*

2) Arg. l. I. §. 24. D. ad SCtum Silan. et Art. VI. C. C. C.

§. XXII.

Tormentorum dolores ne minetur iudex personis a tor- tura exemptis, uel ob dignitatem uel ob iudicii defectum¹⁾; aut feminis uel grauidis uel puerperis. Alia corporis im- becillitate aut morbo laborantibus hic metus iniici non de- bet, nisi medici id sine ualetudinis discrimine²⁾ fieri posse asseuerent.


1) Quas uid. apud KOCHIVM l. c. §. 858.

2) Celeb. КОСН torturam in citato §pho permittit, si sine mortis peri- culo applicari possit. Ast sanitatis quoque inquisitorum rationem habe- ri debere, humanitas saltem suadere uidetur.

§. XXIII.

Si iudex in eiusmodi caussa, uel in talem personam; uel in ea iudicii criminalis parte, ubi iure fieri non pote- rat, comminatione torturae usus fuerit, uel eam ullo alio modo iniuste adhibuerit, confessio per illam expressa, etiam- si postea sponte repetita, est nulla¹⁾, inculpato uero ini- que territo satis est faciendum²⁾.

1) HEILS



1) HEILS *Iudex et Defensor* Cp. III. §. 16.

2) Arg. Art. XX. C. C. C. Cf. quoque Concluf. Senat. Imp. aulici ad §. XX. allegatum.

§. XXIII.

Torturae comminatio inprimis exulare debet, si inquisi- tus, qui sub tormentis confessus est, post aliquot dies, extra locum quaestionis, iterum de crimine interrogatur, ut priorem istam confessionem ratam certamque faciat.

§. XXV.

Confessionem denique, tormentorum minis elicitam, non minus quam tortura expressam, confirmatione opus ha- bere, ex Art. LVI. C. C. C. facile colligi potest. — Haec sunt, quae Tuae, B. L. mitiori quidem censurae offerre conatus sum. Iudicans de iis non sis immemor, te iudicem esse meditationum iuuenis subacto iudicio aequae ac doctri- nae amplitudine destituti; iuuenis non audacis, aut cum IV- VENALE clamantis:

— — *Stulta est clementia* — —
— — — — *periturae parcere chartae:*

sed necessitate tantummodo ad scribendum coacti. Quas preces ut habeas ratas, est uotum, quod ex intimo pecto- ris mei emanare potest, ardentissimum.



FRATRI

FRATRI SVO OPTIMO

S. D.

ANDREAS GOETZ

DIAG. EGID.

Fratres sese mutuo laudibus condecorare, decet quidem nequaquam; mutuo uerum sese amare, ita amare, ut forte iucunda hilarique adridente alteri, alter maxima perfundatur laetitia, aerumnis ac miseriis alterum angentibus, alteri aequae ubertim manent lacrumae ac si sibimet ipsae earundem cum ui acerba esset luctandum, ita sese mutuo diligere, ut, omni data occasione, alter alteri sui amoris ardorem integritatemque indicare ac demonstrare summo admittatur studio, id non decet solummodo fratres, sed fasque iustumque est. Minime igitur FRATER OPTIME, consuetudinis hae literulae habent rationem, neque enim ingenii TVI, neque TVAE doctrinae sunt praecones, uerum mei, immo nostri amoris indices. Licet uero TV, FRATER DILECTISSIME meum in TE affectum scias, licet ego sciam, TE neque eius feruorem neque candorem unquam in dubitationem esse uocaturum, tamen non potui, quin etiam publicum TIBI illius documentum darem: publice pronunciarer, nostrum amorem non ex sola ortum esse consanguinitate, sed ex uera amicitia, ex summis officii studiis, quae omni tempore inter nos certatim extiterunt; publice exprimerem, quam sentio, uoluptatem dulcissimam hodierna luce, qua nil mihi profecto solennius, carius, sanctius esse potest, TE mihi repraesentante ad felicem studiorum academicorum exitum peruenientem, ad honorificum diligentiae TVAE praemium adspirantem; publice funderem pias preces iamdudum pectori meo pro TVA felicitate conceptas. Ex animo igitur TIBI, FRATER OPTIME, gratulor dignitatem, qua hodie ornaris, simulque, genibus innisus, Numen Supremum suppliciter rogo, ut ex hoc praeclarissimo honore tantam in TE redundare bonorum copiam clementer iubeat, quantam mecum omnes TIBI amici mirum in modum optant. Dabam Norimbergae, d. XVIII. Mart. MDCCCLXXVI.

